

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Rudolph Redecker Johann Dietrich Gülich von

**Examen Iuris ...**

**Quintum :**

Rostochi[i]: Richelius, 1666

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747222576>**

Band (Druck) Freier  Zugang 

RU jurist. 18. Juli 1668 /d  
Redeker, Heinr. Rudolph.









R.

245.

11

I. N. D.

# EXAMEN JURIS QVINTUM,

SUB PRÆSIDIO

DN. HEINRICI RUDOLPHI

Reedekern/ J. U. D. & Prof. P.

samigeratissimi,

Sereniss. Duc. Meckl: Consiliarii intimi & Con-  
sistorii Ducalis Assessoris gravissimi,  
h. t. Rectoris Magnifici.

Publica Eruditorum disquisitioni  
submittit

JOHANNES THEODORUS à GÜSLICH.

Osnab: Westph.

In Auditorio Majori,

d. 18. Julii.

82 : 20

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen: Typogr.  
ANNO MDC LXVI.

1666

*Gramm. juris*


I. Stipendium 1664

II. Kleinstücke 1664

III. —

IV. —

V. incipit § 28!



276.

88

229

28. Ex quo Jure descendit  
meum & tuum, seu do-  
miniorum distinc*tio*?

Jure naturæ omnia com-  
munia erant omnibus, non  
qvidem positivè, ut esset ob-  
ligatio conservandi commu-  
nionem, sed negativè, qva-  
tenus natura nulli privato  
dominium aliquod applicuit  
*c. dilectissimis* 12. q. 1. Propter  
inconvenientia proinde ne-  
cessarium fuit, ad vitam poli-  
ticam, ut cessaret dominium  
commune. Ideoq; jure gen-  
tium, qvod jus naturale se-  
cundarium vocamus §. ii. *J.*  
*l. i. ff. b. t.* dominia rerum di-  
stincta sunt *l. s. ff. d. J. & J.*  
naturâ, qvæ, sine determina-  
tione modi, ut res nullius si-  
eret occupantis, permisit,  
appropriationem haud pro-  
hibente: adeoque per ini-  
quitatem, in statu hominum  
peccaminoso, occasio data-  
est, ut recta ratio suaderet di-  
visionem bonorum *d. c. di-  
lectissimis*.

Ad §. ii.

29. Quot modis ergo res  
acquiruntur à singulis?

Duobus: Naturaliter vel  
Civiliter *l. 53. ff. de A.R. D. h.*  
*e. jure naturali* (per qvod jus  
gentiū intelligitur) & civili *l.*  
*1. d. t. §. ii. Inst. b.* Modi a. na-  
turalis juris sunt vel origina-  
rii, qvibus res sine facto &  
voluntate alterius acquirun-  
tur, ut oecupatio, & accessio,  
de qvibus à §. ii. ad §. 40. vel  
derivativi, ubi mediante  
facto & voluntate alterius res  
nobis acquiritur, ut traditio  
§. 40. & seqq. *J. l. 9. S. 3. ff. d. t.*

30. Quot modis res singu-  
la naturaliter acqui-  
runtur?

Duodecim in hoc titulo  
secundum paragraphorum  
ordinem, recensentur modi,  
(1) occupatio (2) bellum (3)  
inventio (4) fœtura (5) allu-  
vio (6) Insula (7) specificatio  
(8) confusio (9) adjectio (10)  
bonæ fidei possessio (11) the-  
sauri inventio (12) traditio;  
qvos retinent Harpr: Ritters-  
bus: & Giphan: eosdem ad u-  
num

num summum modū, traditionē Scl. reducit Dn. Tabor: Duos autem apprehensionem & accessionem consti-  
tuunt Sutholt, Diff. 4. th. 19.  
Vinn. b. n. 4. Galii. Tres ve-  
ro, occupationem, accessionem & traditionem Z&s. ad  
tit. de A. R. D. cui hactenus  
ad stipulor. Qvatuor, occu-  
pationem, accessionem, spe-  
cificationem & traditionem  
recenset Gædd. ad l. 23. n. 4.  
d. V. S. Qvinq; occupatio-  
nem, accessionem, commix-  
tionem, & perceptionem.  
Pac: ad tit. de A. R. D.

**31. Suntne iudicem modi  
transferendi, qui ac-  
quirendi dominium?**

Rerum Dominia pluribus  
modis acquiruntur, duobus  
autem tantum transferun-  
tur traditione & usucapione  
l. 20. C.d.pact. traditio autem  
modo fit ab homine, de qua  
§. 40. b.t. modo à lege, ita  
legatum, à morte testatoris,  
rectā transit in legatarium  
l. 64. ff. d. furt.

Ad §. 12.

**32. Quid est occupatio?**

Apprehensio rei qvæ do-  
mino caret, h. e. qvæ naturā  
vel legis provisione ita nulli-  
us est, ut tamen possit alicu-  
jus esse l. 1. 2. 3. b. t. Qvæ enim  
communia sunt, ea, dicente  
Grotio, non divisione sed oc-  
cupatione transeunt in jus  
proprium, qvod dominium  
vocabus.

**33. Quotuplex est oc-  
cupatio?**

Duplex violenta & non  
violentia. Illa contingit ve-  
natione, de qua §. 12. 13. 14. 15.  
16. vel bello §. 17. Hæc au-  
tem inventione §. 18.

**34. Quid est venatio?**

Venatio, qvando sumitur  
pro ipso venandi actu, defini-  
tut: Actus ad captionem fe-  
rarum ordinatus: seu captura  
animalium liberè vagan-  
tiū & naturali libertati re-  
lictarum. Qvando autem i-  
plum jus venandi denotat, est  
jus animalia fera, qvæ hacte-  
nus nullius sunt, perseqvendi,  
capien-

capiendi, & certo loco con-  
cludendi, 2. F. 27, c. un. §. 5.  
Et 2. F. 56. dicitur autem jus,  
quia hodiè est regale Carpz.  
p. 3. dec. 287.

### 35. Quot modis dicitur venatio?

(1) Alia est oppressiva ho-  
minum c. non est §. bis itaque  
distr. 6. (2) alia arenaria l. 1. §.  
deniq; ff. d. postul. c. qui ven-  
toribus d. 86. (3) alia adulato-  
ria d. c. qui venatoribus c. non-  
nulli d. 46. c. sunt plurimi 6. q.  
l. (4) alia saltuosa seu anima-  
lium, de va hic.

### 36. Quomodo dividitur haec venatio?

Ab objecto tripliciter; in  
ferinā seu ferarum bestiarū,  
aucipiū, & piscaturā §. 12. b.t.  
*Hæc* est captura piscium, qvæ  
non solū in mari & fluminib⁹  
l. 13. §. 7. ff. d. injur. sed & in sta-  
gno alieno permissa l. 3. §. 13.  
14. ff. d. A. P. Illud est captura  
volucrū iberē oberrantium  
l. 3. §. 15. d. A. P. Ista est ca-  
ptura quadrum pedum terre-

striū, qvæ feræ sunt & suæ na-  
turali libertati relictæ, adeoq;  
in specie dicuntur bestiæ l. 1.  
§. 6. ff. de postul. Unde Advoca-  
tus ille non habuisset neces-  
se, Judicem Montonum, cum  
obtinere vellet, asinos non  
esse bestias, per tit. C. asinos  
pro best. non haber. seducere,  
cum idē potuisset exd. §. pro-  
bare. Ab Effectu dupliciter,  
alia est major Germ. grob/  
grob/ hoch/ roht oder schwars  
Wild / und Weidwerk: alia  
minor, German. Minner/nie-  
der oder klein Weidwerk. Qvæ  
distinctio ex verbis investi-  
turæ est determinanda.

### 37. Quomodo de jure gentium procedit venatio?

Omnia animalia fera, qvam-  
diu naturali libertati sunt re-  
licta, non jure soli & loci, sed  
jure capionis acquiruntur l.  
14. in fin. ff. b. t. proinde nihil  
refert, sive in suo, sive in alie-  
no fundo capta fuerint l. 3.  
§. 1. b. t.

Q

83. Quid

**38. Quid autem si probi-  
bente Domino quis fun-  
d' ingressus sit?**

Dominus fundi non potest quidem captam bestiam vindicare, uti Gl. putat, venatorem tamen, qui illo prohibente fundum ingressus est, actione injuriarum convenire potest l. i. l. 5. §. 3. l. 44. ff. b. t. l. 13. §. ult. ff. d. injur. l. 16. ff. d. S. P. R.

**39. Quot sunt genera  
animalium?**

Qvædam sunt naturaliter mansueta §. 16. f. b. t. qvædam naturaliter fera §. 12. l. 5. ff. b. t. ex qvibus qvædam, per industriam humanam, mansuefacta sunt §. 15. In slit. b. t. qvibus hactenus feræ opponuntur l. 26. ff. de furt. Qvædam autem sunt mediæ naturæ, ut columbæ domesticæ qvæ nec prorsus mansuetæ neq; tamen etiam sylvestres planè sunt: qvia facile columbariis & ædificiis assuefcunt, & externa etiam forma à sylvestribus discrepant.

**40. Quousque fera capta  
manent in occupantis  
dominio?**

Qvamdiu tenentur & custodia coercentur: consistit enim illorum dominium in actuali possessione: recuperata proinde pristina libertate, pristinum etiam statum postliminio recipiunt l. 3. §. 2. l. 5. 44. ss. b. t. recuperasse autem naturalem libertatem censentur, qvando conspectum nostrū effugerunt, vel difficilis persecutionis sunt, adeoq; desperatæ recuperationis d. l. 5. d. l. 44.

Ad §. 13.

**41. Ceditne vulneratio fe-  
rae bestiæ dominium?**

Trebatus vulnerationē, & persecutionem, si præsens spes capturæ accedat, pro captura esse putavit. Justinianus autem, Cajum suū secutus, non vulnerationem & persecutionem, sed eventum persecutionis, & capturam ipsam spectandam constituit, l. 5. §. 1. b. t. qvod etiam obtinet,

tinet, si bestia reti illaqueata, ab alio capta sit l. 55. b. t. nisi lethaliter sit vulnerata, vel ita illaqueata, ut se expedire amplius non possit l. 3. §. 3. & 13. ff. de A. P. Sed hodie Trebatii opinio Jure Saxon: lib. 2. Landrecht art. 61. recepta, & inter venatores usu approbata est, Gl. adl. s. §. 1. ff. b. t. Wehn. pr: obs. voce Forstrecht/ Mor. de Jur: ven. c. 8.

Ad §. 14.

#### 42. Quomodo apes acquirantur?

Apium feram esse naturam probatur, tum quia libere circumvolant, & saepe loca ac alvearia mutant l. 5. §. 1. b. t. tum quia homines fugiunt, tum quia apprehendentes aculeis suis laedunt. Proinde quisque poterit illas, illarumque examen, seu novam sobolem, capere, & alveariis includere, & favos, seu mel collectum, eximere d. l. 3. §. 3. l. 26. defurt. modo non sint alveariis inclusae, tunc enim in patrimonio esse reputan-

129  
tur l. 8. §. 1. fam. erc. & examina in fundum alienum persequi, & includere nemo prohibetur l. 5. §. examen. 4. b. t. licet Jure Saxon. contrarium obtineat Weichbild artic. 19. daturque actio L. Aquiliae contra eum qui eas exusserit l. 27. §. 12. l. 49. ff. ad L. Aquil. quod idem, de feris vivariis, & piscibus piscinis inclusis, statuendum est l. 62. ff. de usufr. l. 3. §. 14. ff. de A. P.

Ad §. 15.

#### 43. Quid juris est in animalibus curatis?

Tam diu alicujus esse intelliguntur, donec animum revertendi habeant, hactenus enim possessio illorum animo retinetur, d. l. 3. §. 15. 16. ff. de A. P. Revertendi autem animum desinunt habere, cum revertendi consuetudinem deseruerint §. 15. b. seu quando ad dies & horas consuetas redire desinunt. Quod tamen arbitrio judicis discernendum relinqvitur.

23

44. Licet

**44. Licitumne est columbarium extruere?**

Utiq; *tum* qvia columbae sunt ad escam, *tum* qvia utilles sunt ad stercorandum, *tum* qvia etiam mala semina consumunt, *tum* qvia grana ex spica non extrahunt, nec cooperta terra consumunt, *tum* qvia experientia constat, non minus colligi frumenti ex agro columbario proximo, quam remoto.

**45. Licetne columbas fraude & illecebris ex alieno columbario deducere?**

Non, debet enim qui id facit captas columbas restituere, tenebiturq; in animæ judicio, & in foro puniendus erit, l. 8. §. 1. ff. fam. erc. Si tamen fraus & intentio, illas ad se pertrahendi, absit, acceptas retinere, nisi statutum, vel consuetudo loci refrageatur, nemo prohibetur: qvia columbae naturalē libertate securæ stationem mutarunt, & animum revertendi dereliquerunt, ideoq; omnino oc-

cupantis fiunt: & hic casus est, ubi solo animo, qvod alias juris est §. 5. J. de Interdict. l. 3. §. 7. l. 46. ff. l. 4. C. de A.P. possessio non retinetur, sed insuper reqvirit actualem insistentiam.

Ad §. 16.

**46. An etiam propter galbinam ablatam competit actio furti?**

Qyamvis, in causis extraordinariis, minimum haud curet prætor l. 4. ff. de rest. in integr: l. 10. ii. ff. de dol. mal. attamen qvia hic actio est ordinaria, & in furto non tam objectum quam furandi affectus formale requisitum constituit §. 5. J. de ususc. §. 7. J. de obl. que ex del. & effectum, seu actionem furti, producit, qyoniam justitiae ratio non ex quantitate rei, sed ex regulis justi estimatur arg. l. 1. §. 10. ff. de conjung. cum eman. lib. etiam ob rem exiguum furti actio competit l. 37. ff. de furt. l. 8. §. 1. ff. fam. erc. Nov. 69. c. 1. Licet non facile,

facile, qvia infamat, danda  
sit à prætore.

Ad §. 17.

**47. Quisnam est hostis?**

Hostis, ab hostiendo seu exæqvando dictus, vel qvod Romanis est æqvalis, vel qvod æqua fronte in bellum eat, vel qvod mœnia victorum adæqvæt, est is cui populus Romanus publice bellum decrevit vel qui ipse populo Romano bellum decrevit l. 118. de V. S. l. 24. de capt. & posilim. revers.

**48. Quomodo res hostium  
fiunt occupantium?**

Uti bella ex jure gentiū originē trahunt, ita capta in bello fiunt capientium l.s. §. ult. b.t. qvia nullius in bonis esse creduntur l. 1. §. 1. ff. de A. P. distinguendum tamē est, inter actus belli publicos & privatos; tum inter res mobiles & immobiles. Res immobiles acqviruntur illis qui bellum gerunt l. 16. b. t. l. 20. §. 1. ff. de capt. & posil. res mobiles autem, extra actus pu-

blicos singulis acqviruntur, l.s. §. 1. ff. b. t. in actibus publicis autem, qvia singuli milites personam Reipubl. sustinent, res illæ Reipubl. cedunt & duci belli arg. l. 53. b. l. 1. §. 12. ff. de A. P. qvo etiam respicit c. dicat aliquis 23. q. s.

Ad §. 18.

**49. Quid est inventio?**

Est actualis apprehensio illarum rerum, qvæ nullius sunt, & in littore maris, vel aliis locis reperiri solent l. 1. §. 1. b. t. l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. ff. de A. P. Hodie tamen terrarum Domini maria, & per hoc littora maris, sibi vindicant, ergo illarum rerum occupatio, sine permissione Principis, promiscue non licet.

**50. Quomodo differunt la-  
pilli, gemmae, & mar-  
garitæ?**

Ha conchæ, ad rubrum ma-  
re, partus sunt l. 19. §. 18. de  
auro & arg. leg. Illæ non sunt  
perlucidæ; Ipsi autem sunt  
perludici d. l. 19. §. 17. qvam  
tamen differentiam impro-  
bat

bat *Vall.* Adeoq; etiam Juris consultis tantum propria esse videtur, qvia gemma aliàs omñem pretiosum lapillum denotat *Becmann.* in *Origin.* *voc.* *Margarita,* & *Aus.* *Popm.* in diff. *voc.* *gemma.*

Ad §. 19.

**51. Quomodo ex fœtura acquiritur dominium?**

Qvicqvid ex animalibus dominio tuo subjectis nascitur, tibi acqviritur, *tum* qvia partus sequitur ventrem *l. 5.* *§. 2. ff. l. 7.* *C. de R. V.* *tum* qvia pars non potest alterius juris censeri, ac ipsum totum *l. 7. ff. de Except: rei jud:* Regula enim juris haçtenus obtinet: Accessorium seqvi naturam sui principalis, *c. accessorium de R. I. in 6.* nec interest, si imprægnatio ab alieno animali facta sit *d. l. 7. & l. 11.* *C. de R. V.* interim tempus nativitatis semper spectatur *l. ult. ff. b. t.* Qvicqvid autem hic dicitur de animalibus brutis, idem obtinet in servis, qvia ratione dominii,

quadrupedibus annumerantur *l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

Ad §. 20.

**52. Quid per flumen acquiritur?**

Qvicqvid per alluvionem, hoc est, incrementū latens, & paulatim flumen, non autem stagnum & lacus, qvia habent determinatos fines *l. 12. b. t. agro* tuo adjiciti, alluvionis jure tuum fit *l. 7.* *§. 1. b. l. 1. C. de alluvionib. tum* qvia terra aquæ immersa dominum mutat, *tum* ut negligentia, ripas suas non munientium, puniatur *arg. l. ult.* *C. d. t.*

Ad §. 21.

**53. Si autem non latenter, sed impetus rapidi fluminis, partem prædiū avulserit?**

Illa manet domini prioris, modo novæ terræ nondum coaluerit, & arbores in fundo, cui simul adjectæ sunt, nondum radices egerint, *l. 7.* *§. 2. b. t. l. 9. §. 2. de damn. infct.* Novus enim dominus semper

semper exceptione doli repellitur l. 23. §. 4. ff. de R. V.  
& pristino domino datur utilis rei vindicatio, l. 5. §. 3. de R. V. qvæ talis dicitur, non oppositivè ad actionem directam, sed relative ad effectum agendi.

Ad §. 22.

#### 54. Quid significat Insula?

1. Domum qvæ separatum & proprium habet parietem l. 2. §. 5. de eo quod cer. loc. l. 84. de V. O. l. 166. de V. S. 2. Terram aquis circumfluam: qvæ, qvod raro accidit, vel in mari nascitur, & nullius est, ceditq; occupanti l. 7. §. 3. l. 30. in fin. b. t. vel in flumine, & seqvitur conditio nem riparum l. 29. b. t. nisi agri sint limitati, tumq; fit occupantis l. 1. §. 6. ff. de flumin.

#### 55. Quot modis fit insula in flumine?

Tribus modis (1) cum agrū, qvi alvei non fuit, circumluit, & tunc causa proprietatis non mutatur (2) cum locum, qvi alvei erat, circumfluere

<sup>133</sup>  
cepit (3) cum paulatim alluendo locum eminentem supra alveum facit: duobus hisce modis insula fit ejus, cuius agro proximior est l. 30. §. 2. ff. b. t.

Ad §. 23.

#### 56. Quid juris est in alveo fluminis?

(1) Alveus derelictus & exsiccatus, illorum est qvi prope ripā prædia possident l. 7. §. 5. b. t. tum qvia alveus ex prædiis illorum desumtus censetur d. l. 30. §. 3. d. t. tum qvia damnum fluminis sustinent vicini, ergo etiam sentire debent commodum.

(2) Alveus novus, pristina agri formā sublatā, naturam fluminis induit d. l. 7. §. 5. d. l. 1. §. 7. ff. de flumin. (3) Si flumen ad veterem alveum redierit, novum alveum Justinianus, qvia forma semel mutata est, non antiquo domino reddit, sed illorum esse dicit, qvi propè ripam prædia possident §. 23. b. t. l. 24. ff. quib. m. usus fr. amit. & ex facti

R

specie

specie probatur in l. 38. b. t.  
æqvitas tamen pristino do-  
mino interdum favet d. l. 7.  
§. 5. b. t.

Ad §. 24.

**57. Quid efficit inundatio?**

Qvando inundatio totalis  
est, h. e. qvando agrum pla-  
nè occupat, possessio simul &  
proprietas perit l. 10. §. 2. l. 23,  
24. ff. quib. m. usus fr. am. l. 30.  
§. 3. ff. de A. P. qvando autem  
aqua recedit, ager ad pristi-  
num dominum reddit, & qvod  
sublatum videbatur, ipso ju-  
re restituitur. l. 7. §. 6. b. t.

Ad §. 25.

**58. Quid est specificatio?**

Est nova speciei vel corpo-  
ris, ex aliena vel communi  
materia, confectio & consum-  
matio; Nam lana, aliena pur-  
pura tincta, non est nova spe-  
cies l. 26. §. ult. b. t. Nec etiam  
inchoatio, ad specificatio-  
nem sufficit, sed plena forma-  
tio reqviritur l. 80. §. 1. ff. ad  
*L. Falcid.* qvod ipsum coargu-  
it verbum fecerit, & compo-  
suerit, §. 25. b. t.

**59. Cui nova species ac-  
quiritur?**

Qui ex propria materia  
speciem alienam, vel corpus  
format, omni jure Dominus  
est, l. 25. ff. b. t. l. 49. §. 1. de R.  
V. Qui autem ex aliena ma-  
teria speciem, bona fide &  
suo nomine, fecerit, is itidem  
Dominus fit, nisi ad rudem  
materiam materiatum pos-  
sit reduci l. 7. §. 7. l. 25. l. 27.  
§. 1. b. t. l. 12. §. 3. ff. ad Exhib.  
Si autem qvis ex re commu-  
ni corpus aliquod composue-  
rit, qvisque, si formatum ad  
pristinam materiam reduci  
poterit, suam partem reci-  
pit, sin minus, formans fit  
Dominus l. 12. §. 1. l. 27. §. fin.  
b. t. l. 5. §. 1. ff. de R. V.

**60. Quid juris instrumen-  
to, & navi ex alienis ta-  
bulis confecta?**

Illud manet Domini, qvia  
frumentum ex spicis excuti-  
ens nihil novi format l. 7. §.  
7. b. t. proinde præcipitantes  
nimis hic scripsit Tribonian-  
nus. Hæc autem ejus est,  
qvi

qui eam ex alienis tabulis fecit l. 26. d. t. quamvis antiquæ dissensionis vestigium, nisi inter navem ex alienis tabulis ædificatam, & reparatam velimus distinguere, occurrat in l. 61. ff. de R. V.

Ad §. 26.

**61, Quid circa accessoria statuendum?**

Accessoriū omne, quod ornandæ vel augendæ rei adhibetur, licet pretiosius sit, induit naturam rei principali, & illi, licet adjunctio mala fide facta sit, cedit l. 19. §. 13. Et fin. ff. de aur. Et arg. leg. l. 26. s. 1. b. t. l. 7. §. 2. ff. ad Exhib.

**62, Qua actiones dantur Domino adjunctæ rei?**

Dominus, adversum eum qui bona fide rem alienam suæ intexuit, habet actionem ad exhibendū, & tunc vindicat, d. l. 7. §2. l. 23 §§. ff. de R. V. quod etiam obtinet in plumbatura, non autē in ferruminatione, qua conjunctio fit per eandem materiam d. l. 23.

139

Quando autem non potest res vindicari, datur condictio sine causa, contra quosvis possessores l. ii. §. ult. Et seq. ff. de R. C. §. 2. J. quib. al. lic. vel actio infactum d. l. 23. Si quis malafide intexuit, datur adversus eum actio furti, & condictio furtiva h. §. datur in super actio ad exhibendum, adversus eum, & vindicatio, etiamsi dolo desierit possidere arg. l. 131. de R. J. l. 27. §. 3. l. 36. ff. de R. V.

Ad §. 27.

**63, Quomodo ex confusione acquiritur dominium?**

Confusio est, quando diversorum corpora liquida, aut liquefacta in unum rediguntur, & ita alterantur, ut separari nequeant. Per hanc, si voluntate Dominorum, confusio facta fuerit, sit res ex conventione communis, pro ratione tamen cuiusq; ponderis aut mensuræ l. 3. §. ult. de R. V. si casu, sit res, si quævis pars deduci non possit, communis l. 5. de stip.

R. 2

seru.

serb. & cuiq; datur actio communi dividundo l. 7. §. 9. b. t.  
l. s. §. 1. de R. V. nisi res separari possint, tunc enim datur actio ad exhibendum & vindicatio l. 12. §. 1. b. t. Si unius voluntate & facto species inseparabilis effecta sit, specificans fit Dominus d. l. 7. §. 8. ff. l. 27. §. 1. ff. b. l. s. §. 1. de R. V.

Ad §. 28.

#### 64. Quid si corpora solida fuerint commixta?

Si voluntate dom inorum, res fit, pro cuiusq; portione, communis: si unius voluntate, vel easu, singula corpora, qvia discreta sunt, singularum manent, & cuiq; competit actio in rem, l. s. 23. §. 5. de R. V. habita tamen ratione bonitatis & quantitatis l. 75. §. 2. de V. O. quod officio judicis discernendum committitur §. 28. b. t. l. 4. de R. V.

#### 65. Quot sunt genera corporum?

Tria, unitum, ut homo; coherent & connexum, ut domus; scilicet, ut grex &

grana, l. 30. ff. de Usuc. l. 23<sup>o</sup>  
§. 5. de R. V.

Ad §. 29. & 30.

#### 66. Quid juris est in aedificatione?

Qui in suo solo, ex aliena materia, immobile quid l. 28. l. 60. ff. b. t. aedificat, is fit, ex natura accessionis, Dominus aedificii l. 7. §. 10. eod. quamvis materia, seorsim & extra materialium, seu aedificium considerata, maneat Domini, qui diruto aedificio, de ea ad exhibendum potest agere, & eam vindicare l. 98. in fin. ff. de sol. §. 28. b. adeoq; hactenus alius est dominus materiae, alius aedificii l. 23. de R. V. l. 30. ff. de A. R. D. l. 7. §. 2. de Exc. rei jud. Qui autem ex sua materia in alieno solo aedificat, si sciens, vel mala fide, materiam penitus amittit d. l. 7. §. 12. b. l. 33. ff. de cond. indeb. si ignorans & bona fide, pretium materiae, & mercedes fabrorum repetit. d. l. 7. §. 12.

Que

**67. Quanam actio datur  
domino materiae?**

Si is, qvi in alieno fundo b. f. ædificavit, fuerit in possessione, potest Dominum fundi, exceptione dolii, usque dum sibi satisfiat, repellere §. 29. b. t. l. 14. de dol. exc. l. 37. ff. de cond. indeb. interim m. f. possessor etiam impensas necessarias deducere potest l. 5. C. de R. V. Si extra possessionem, sive b. sive m. fidei possessor sit, nullam habet actionem l. 33. ff. de cond. indebeb. Is autem, ex cuius materia aliis in suo solo ædificavit, habet actionem detigno juncto, qvæ, sive b. sive m. fidei ædificatum sit, est in duplum, l. 23. §. 6. de R. V. ne urbs, rescissione ædium, ruinis deformetur, l. 2. C. de ædif. priv. l. 2. §. 17. ff. ne quid in loc. publ. l. 1. de tign. junct. l. 6. ff. ad exhib. unde nec actio ad exhibendum datur, nisi qvatenus actoris, adversus m. f. possessorem, interest, ob tignum non exhibitum d. l. 23. §. 6. de R. V.

Ad §. 31. & 32.

**68 Quid juris est circa im-  
plantationem & ja-  
tionem?**

Qyoties qvis, b. f. alienam plantam suo, vel suam plantam alieno, imponit solo, toutes planta solo cedit l. 7. §. fin. b. t. l. 5. §. 3. de R. V. modo integras radices egerit l. 6. §. ult. ff. arb. furt. cæs. radicibus enim planta unitur cum terra l. 9. §. 2. ff. de damn. inf. & alio terræ alimento alia facta videtur, qvæ nec eruta ad priorem Dominum revertitur, d. l. 7. §. fin. l. 26. §. 2. ff. b. t. Sata etiam frumenta, qvia transferri amplius non possunt l. 14. ff. de don. solo cedunt l. 9. b. t. l. 25. §. 1. ff. de Usur. Dominus tamen seminis, adversus eum qvi servit, habet actionem in factū, ad consequendum pretium arg. l. 23. §. 5. de R. V. & si is, qvi fundum alienum suo frumento b. f. consevit, eum possideat, potest exceptione dolii se defendere, donec im-  
pensas

pensas recipiat, §. 32. non ita si m. f. conseruerit l. 37. de R.V.

Ad §. 33. & 34.

**69. Quid obtinet in scriptura & pictura?**

Scriptura cedit chartæ, sed, si is qui scripsit, alienam chartam b. f. possideat, exceptione doli conseqvitur ex-

pensas, l. 9. §. 1. b. t. in pictura autem hoc speciale est, qvod ei tabula cedat, d. l. 9. §. 2. qvod ipsum Imperatori, rejectâ opinione Pauli, quæ est in l. 23. §. 3. ff. de R.V. & adprobata sententiâ Gaij, quæ est in d. l. 9. melius esse visum est §. 34. b.

Ad §. 35.

**70. Quomodo fructus dividantur?**

Fructus, quatenus denotant omnem utilitatem, quam quis ex re aliqua percipere potest, sunt

Civiles, qui non ex ipsa re, sed occasione rei obveniunt, ut usura, census, pensiones, adeoq; profructibus accipiuntur l. 36. de usur. Et fructuum vicem, quamvis propriè fructus non sint, obtinent, l. 62. de R. V. l. 83, ff. de Leg. 3. l. 121. de V. S. pendentes, qui nondum sunt remoti à sua causâ l. 44. de R. V. l. 27. ff. de usufr. vel

Naturales, qui ex ipsa re, vel suâpse sponte, vel industria humana producuntur, & propriè fructus dicuntur l. 29. ff. de her. pet. l. 34. ff. de usur. l. 11. ff. de donat. bi sunt

(extantes) Percepti, qui sunt remoti à sua causa, & hi sunt l. 48. vel l. 78. de R. V. consumti

Percipiendi, quos quis comode potuit percipere, l. 33. ff. de R. V. l. 12. C. eod.

71. Qui

**71. Qui fructus possessori  
rei alienæ acquiruntur?**

Bonæ fidei possessor, h. e. qui habet ignorantiam iustæ possessionis, & titulum, h. e. causam ad transferendum dominium habilem, perceptos, & consumtos fructus, sine distinctione naturalium & industrialium, irrevocabiliter facit suos l. 48. b.t.l. 4. §. 2. ff. fin. reg. juncta, l. 136. de R. I. uti autem pendentes nondum fecit suos, & de percipiendis non tenetur, ita extantes, si Dominus impensas refundat, reddere tenetur §. 2. J. de Off. jud. l. 22. C. de R. V. Malæ autem fidei Possessor, qvalis post L.C. etiam b. f. possessor esse incipit, similiter de percipiendis fructibus tenetur d. l. 33. ff. d. l. 22. C. de R. V. l. 10. C. de A.P.

Ad §. 36.

**72. Quomodo ususfructua-  
rius fructus acquirit?**

Usufructuarii fructus non aliter sunt, nisi eos perceperit, h. e. actu apprehenderit,

119

hic enim differentia inter b. f. possessorem, & usufructuarium probe notanda l. 13. ff. quib. mod. ususfr. nec refert, si maxime maturi sint, hos enim, qvia actu non percepit, ad heredes suos, qvia ususfructus personalis est, non transmittit l. 8. ff. de ann. leg. cuius juris æqvitas resultat ex l. 27. & 58. ff. de ususfr: immaturos contra percipiendo suos facit l. 48. §. 1. ff. de ususfr. l. pen. de fruct. leg.

**73. Quid juris est in  
colono?**

Colonus, qvi pro annua pensione prædium rusticum colendum conduxit, si durante locatione decedat, jus percipiendorum fructuum ad heredes transmittit §. ult. In l. 10. C. locat. nisi sit colonus partarius l. 25. §. 6. ff. d.t. juncta l. 4. §. 1. ff. pro soc. vel colonus ususfructus l. 10. C. de ususfr. de quibus h. §.

Ad §. 37.

**74. Quid pertinet ad usu-  
fructuarium?**

Omnis redditus, utilitas & acces-

aecessio qvæ ex re, in qvā ususfructus est, percipi potest  
*l. 48. §. ult. b. t. l. 7. ff. de usufr.*  
*l. 12. §. 1. ff. de usu & hab.* Partus tamen ancillæ, qvamvis olim qvæstio fuerit, non est in fructu *l. 68. ff. de Usufr. l. 28. ff. de Usur* §. 37. b. ubi ad- ditur ratio.

Ad §. 38.

**75. Quodnam est officium  
Usufructuarie?**

Ut substantia rei ususfructus maneat salva, *pr. Inst. de usufr.* adeoque, qvod bonus pater familias in sua re facit, idem facere *l. 65. ff. d. t.* & si gregis, sylvæ, aut pomarii usumfructum habeat, qvia singula individua, uti oves & arbores, perpetuo subsistere nequeunt, in locum demortuorum capitum, ne ipsa substantia fiat deterior, alia substituere *l. 68. d. t.* & eo nomine cautionem præstare debet *l. 1. ff. usufru: quem., cap.*

Ad §. 39.

**76. Quid est Thesaurus?**  
Vetus depositio pecunia,

cujus memoria non extat, ad- ec ut dominum non habeat, *l. 31. §. 1. de A.R.D. l. 67. de R. V. l. un. C. de Thesaur.* ubi notandum, qvod causa sumatur pro effectu, thesaurus enim non est depositio pecunia, sed pecunia deposita.

**77. Ad quem pertinet the-  
saurus inventus?**

Qvia thesaurus ignoratur, habetur pro derelicto, adeoque, per naturalem æquitatem, qvam Hadrianus Imperator secutus est, cedit occupanti *l. 1. ff. pro derel:* §. 39. b. Prinde in loco proprio, fortuito, vel data opera, absqve magicis artibus tamen, inventus, totus cedit inventori *d. l. un. C. de Thesaur.* qvod idem obtinet in loco sacro, aut religioso privato *d. §. 39. b.* in loco religioso publico autem inventus, pro dimidio cedit fisco *l. 3. §. 10. ff. de Jur. fisc.* In loco alieno vero, publico, Cæsarlis, fiscali, profano, aut religioso, si sine data opera repertus sit, dimidius

midius domino , dimidiis inventori acqviritur ; si data opera , totus est Domini vel fisci d. l. un. C. de Theſaur. 2. F. 56. Jure Saxonico , si Theſaurus profundius meatu a- ratri jacuerit , fisco cedere Co- ler: Decif. 100. putat , diſſentit Carpz. p. 2. c. 53. d. 4.

Ad §. 40.

### 78. Quid eſt traditio?

Translatio possessionis l. 28. de V. O. l. 2. de A. E. qvæ , si à domino fiat , eſt modus transferendi dominium , l. 20. C. de Paci. si autem à non do- mino , uſu capiendi faculta- tem præstat §. 5. Inst. per quas perf. nob. acquir.

### 79. Quotuplex eſt tra- ditio ?

(1) Alia propria , eaq; eſt rerum corporalium , qvæ a- ctu apprehendi , vel de manu in manum dari poſſunt §. 40. b. Alia quæſi , aut impropria , qvæ eſt rerum incorporaliū , in qvibus , patientia à parte domini , & uſus juris à parte acqvirentis , pro traditione poſſessionis cedit l. 43. §. 1. ff.

148

de A.R.D. l. ult. ff. de ſerv. eoq; modo traditio ſervitu- tum , qvæ tactum effugient §. 2. J. de reb. corp. & incorp. accipienda eſt l. l. in fin. de S. P.R. (2) Alia vera , si ipſo a- ctu res de manu in manum detur , vel qvis in poſſeſſio- nem fundi ducatur l. 5. 34. ff. l. 2. C. de A. P. qvæ etiam di- citur longæ manus : Alia fi- cta , qvæ fit brevi manu , vel ſymbolo aliquo , de qua §. 44. & 45. b.

### 80. Quanam ſunt requiſi- ta traditionis ?

(1) Cauſa ſeu titulus ad transferendum dominium habiliſ l. 9. §. 3. l. 31. ff. b. t. ti- tulus enim tuetur poſſiden- tem , qvia poſſessionis cauſam oſtendit. (2) Conſensus in corpus rei , tam tradentis , qvam accipientis l. 55. 57. de O. & A. ut ut in cauſa , qvæ tamen in genere & effectu conuenire debet , erretur , unde conciliatio l. 36. b. tit. cum l. 18. ff. de R. C. petenda , modo addatur diſtinctio in- ter

S

ter translationem dominii, & constitutionem obligationis  
 (3) Facultas tradentis l. 20.  
 s4. ff. b. t. (4) Vacua posses-  
 sio l. pen. in fin. ff. de A. P. I. 8.  
 Cod. l. 2. §. 1. l. 3. ff. de act. emt.  
 l. 50. de R. V. l. 12. C. de probat.  
 l. 13. ff. de distr. pign. qvæ habi-  
 lis esse debet, ad transferen-  
 dum dominium, vel consti-  
 tuendā facultatē usucapiēdi.

81 Quæ est differentia in-  
 ter stipendiaria & tri-  
 butaria prædia?

Postquam Augustus cum populo Romano captas provincias partitus erat: proviniciæ populi quotannis pendebant tributum: Cæsaris autem stipendia, ad bellum sub-sidia, inferebant: inde prædia stipendiaria cum condi-  
 tione solvendi stipendium vendebantur, tributaria autem duntaxat locabantur; adeoq; tributaria prædia, à stipendiariis separantur l. 13. de imp. in res dot. fact. l. 46. §. 5. ff. de fur. fisc. sed Justin: hanc differentiam, una cum illa, qvæ est inter res mancipi &

nec mancipi, sustulit l. un. C. de nud. jur. Quir. toll. l. un. C. de usuc. transf.

Ad §. 41.

82 Quomodo traditio em-  
 tori facta, transfe-  
 rentur dominium?

In emtione peculiariter opus est, ut venditori, tradita re, pretium solvatur, vel de eo, per expromissorem, fidejussorem, aut pignora, satisfactū sit, qvia nuda traditio à venditore facta, non transfe-  
 rent dominium l. 5. §. pen. ff. de Trib. act. l. 19. 53. ff. de contr. emt. tacita enim conditio ad-  
 jecta præsumitur, si ex parte emtoris pretium fuerit solu-  
 tum arg. l. 5. ff. de P. V. nisi si-  
 dem emtoris venditor sit se-  
 cutus, & res in creditum i-  
 verit, daß es beglaubte Güter  
 seyn/ l. 3. C. de pact. int. emt.  
 Et vend. d. l. 5. §. pen. de trib.  
 act.

Ad §. 42. & 43.

83 Quis potest cum effectu  
 rem tradere, ut domi-  
 nium transferetur?

Non tantum ipse dominus  
 l. 20.

*L. 20. ff. b. 1. verum etiam creditor pignus distrahe do l. 46.  
b. t. & procurator, qui vel speciale ad id habet mandatum, §. 42. ibi: cui egius rei possessio permissa sit: l. 1. §. 21. de A. P. vel mandatum generale cum libera: generale enim mandatum simplex ad alienationem non sufficit l. 58 l. 63. ff. de Procur. l. 9. §. 4. ff. de A. R. D.*

*Ad §. 44. & 45.*

**84. Quanam est traditio ficta?**

*Qvæ vel fit brevi manu, si res ex alia causa, veluti ex locato, apud aliquem est, & postea ei venditur; is enim per constitutum possessorum, ad vitandam actuum pluralitatem, rem accipit l. 43. §. 1. de J. D. l. 3. §. 12. ff. de don. inter vir. & ux. juncta l. 18. de A. P. Vel symbolo aliquo, quando vendor claves ad horreum, in quo frumentum est repositum, l. 9. §. 6. b. t. l. 74. de cont. Em. l. 62. ff. de Evid. l. 1. §. pen. de A. P. alteri concessit: vel Instrumen- tum tradidit, l. 1. C. de donat.*

143

vel custos rei ab accipiente appositus est, l. 51. de A. P.

*Ad §. 46.*

**85. Potestne traditio fieri in personam incertam?**

Affirmatur, qvatenus mis-  
silia, hoc est, munera, ad po-  
puli gratiam auncupandam,  
jactantur, & sparguntur in  
vulgus: qvod consules ac præ-  
tores, qui divitiis abunda-  
bant, initio magistratus, vel  
aliàs, facere consvererunt:  
illud tamē fieri prohibuerūt  
Valent: & Marcianus Impp.  
*l. 2. C. de consul. lib. 12. unde  
verba: Prætores & consules, ex  
Instit: Gaij, Vinnius omittit.  
Limitavit autem Justinianus,  
ut argentum, si vellent, in-  
minutioribus nummis, non  
etiam aurū, qvod solis Prin-  
cipibus licebat, septies spar-  
gerent Nov. 105. c. 2. iterumq;  
sustulit Leo, Nov. 94. Leon.  
Principes tamen illud fece-  
runt, Svet. in Aug. c. 98. in Ca-  
lig. c. 18. in Neron. c. II. qvos et-  
iam ipse Justinianus excepit,  
qvibus aurum, qvocunq; ve  
tempore, spargere licuit, ad-  
dita*

S 2

144

dita ratione, qvod Deus o-  
mnes L. L. Principibus subje-  
cerit d. Nov. 105. §. fin.

Ad §. 47.

86. Quid statuendum circa  
res pro derelicto habitas?

Pro derelicto habetur,  
qvod dominus ea mente ab-  
jicit, ut id in numero rerum  
suarum esse nolit: ubi duo  
conjunctim reqviruntur (2)  
ut res abjecta sit, & qvidē (2)  
ea mente, qvod abjiciens il-  
lam amplius habere, & suam  
esse nolit, unde occupanti  
conceditur, qvia dominus  
intelligitur voluisse id alicui-  
jus fieri, qvod ipse pro dere-  
licto habet l. s. pr. ff. pro derel.  
Eatenus autem hic acqviren-  
di modus ad traditionem re-  
fertur, qvia similis illi est,  
qvo qvis æ sparsit d. l. s. qvo-  
niam autem derelinquens  
non adeo ostendit, se velle,  
ut alius eam recipiat, sed sal-  
tim nolle, ut res abjecta in  
bonis suis sit, occupationis  
species est, qvia occupanti  
demum conceditur l. i. d. t.  
modo tamen derelinquens

fuerit dominus; si non, po-  
terit occupans eam demum  
usucapere l. 4. ff. d. t.

Ad §. 48.

87. Eone etiam referuntur  
res que in tempestate ejici-  
untur, vel de rheda cur-  
rente, aut alias, lapsæ,

E amissa sunt?

Non, qvia requisita illa  
duo, qvæ in superiori qvæsti-  
one referuntur, & ad consti-  
tuendam rem pro derelicto  
habendam essentialiter re-  
qviruntur, hic deficiunt: ad-  
eoqve illæ res, qvæ obortâ  
tempestate, levandæ navis  
causa, projiciuntur, manent  
dominorum; qvia longè alia  
mente in mare ejiciuntur,  
qnam ut perse pro derelicto  
habeantur: Imò etiā qvæ for-  
tuito amittuntur, omnem  
abjiciendi animum exclu-  
cludunt, proinde hæ simul &  
illæ dominorum, qvi alien-  
andi animum non habent,  
manent l. 2. §. 8. l. 8. ff. ad L.  
Rhod. dejact. l. 9. §. ult. l. 58.  
ff. b. t. qvia non sunt in dere-  
licto.

licto, sed in deperdito l. 21. §. 2.  
ff. de A. P.

88. Ergo, qui res illas occupat, furtum committit?

Utiq; l. 18. C. de furt. nisi eo animo eas acceperit, ut domino eas restituat, aut putaverit, res illas eo animo in mare jactas, ut pro derelicto habeantur, l. 43. §. 6. Et II. ff. de Furt. quia sine affectu furandi, & rem fraudulose lucrandi, furtum non committitur §. 5. J. de Iisuc. §. 1. Et 7. J. de Obl. qua ex del. Si tamen in iactu verosimile sit, dominos, esto mortem evadant, vel alios eorum nomine, ad res ejetas quærendas, non reversuros, pro derelictis putantur Card. Lugo. de J. Et J. Diff. 6. f. 10. n. 99.

89. Quid si inveniens ne-  
sciat cujus sint?

Qvod suum non est, scire debet omnibus modis ad aliud pertinere l. ult. C. unde vi, adeoque debet, ad inquiriendum dominum, publice profiteri, se res invenisse, &

145

ita repetenti, etiam sine præmio, nisi laboris impensi premium exigat, reddere; hoc enim honestius accipitur quæ petitur d. l. 43. §. 9. ff. de furt. & si nemo le offerat, qui suū repeat, poterit inventor, si pauper, inventā rem sibi retinere, si dives, ad pios usus eam convertere tenetur.

90. Quid statuendum de quorundam locorum con-  
suetudine, ubi bona nau-  
fragorum fisco addi-  
cuntur?

Illa consuetudo, rationi naturali ac civili contraria, ceu iniqva & injuriæ plena, omnino improba & legibus prohibita est. Aut b. navigia C. de furt. l. 1. C. de nauf. lib. II Cōsl. crim. art. 218. adeoque Jure Canonico, etiam sub poena excommunicationis, interdictum c. excommunicationem X. de rapi, mera enim injuria est, nulla causa præcedente, velle alicui suum auferre, vel ex aliena calamitate compendium sectari d. l. 1.

S 3

Ad

## AD TIT. II.

DE REBUS CORPORALIBUS  
ET INCORPORALIBUS.

Ad Rubric.

91. Quomodo coherent §§.  
bujus tituli?

**D**ivisio rerum corporalium & incorporalium, proponitur in genere pr. deinde explicatur, quo ad res corporales §. 1. res incorporeas autem §. 2. & 3.

Ad §. 1.

92. Quanam sunt res corporales?

Qvæ sui natura ac potentia, sub sensum quendam exteriorem cadunt, & tangibles sunt l. i. §. 1. ff. de R. D. Sufficit autem, quod, si praesentes sint, sensibus percipi & manibus adprehendi possint: tales autem sunt, qvæ §. 1. b. recensentur, nimirum res singulares, seu singula corpora, qvæ à Logicis dicuntur individua, & substantiae primæ, qvas Juris Consulti spe-

cies vocant l. 54. de V. O. l. 30. ff. de Leg. 1. dicuntur autem hæres corporales, qvoniam universalia non incurunt in sensus, nec tangi, nec videri possunt.

93. Quomodo dividuntur res corporales?

Res corporales distant inter se per exteiiores terminos, sensibus comprehensibiles, in mobiles, qvæ non tantum tangi, sed etiam de loco in locum moveri possunt, & solo non continentur Germ. fahrende oder bewegliche Haab und Güter/ vel Fahnūß/ qvæ, ut plurimum, se moventes comprehendunt l. 1. ff. de R. V. l. 3. §. 13. l. 30. §. 4. ff. de A. P. l. 15. §. 2. ff. de re jud. & moventes dicuntur l. 2. ff. de supp. Leg. l. fin. de requir. reis interdum tamen illis opponuntur, & ab illis separantur l. 1. ff. de ædil. Ed. l. 30. C. de J. D.

147

*J. D. l. 2. 4. C. de Quad. Prescript. l. 13. C. de Servit.* quantum hæ natura sūa ad se mouendum sunt habiles, illæ autem passivæ, quæ ab aliis moveri possunt, tales dicuntur l. 15. *C. de SS. Eccl. l. 6. C. de Sponsal. l. 93. de V. S. ubi DD. & Immobiles*, quæ, integra sūa substantiâ, de loco moveri non possunt l. 1. §. 1. ff. *U. sufr. quemad. cap. l. 23. ff. de Usuc. l. 15. ff. qui fatus. cog.* & hæ vel sunt res soli, vel solo cohærentes l. F. ult. Ita fructus separati à solo, inter res mobiles d. l. fin. de requir. reis pendentes autem inter res soli referuntur l. 44. de R. V.

Ad §. 2. & 3.

#### 94. *Quænam sunt res incorporales?*

Quæ tangi non possunt, sed injure consistunt, ex jure sūa existentiam habent, & à jure substantiantur, ita hereditas, formaliter considerata, sine ullo corpore, juris intellectū dicitur habere l. 50. ff. de hered. pet. unde jus dicitur l. 119. l. 208. de V. S. Non tamen hæ

res entia intellectū aut rationis sunt, sed uti reliqua accidentia, quæ substantiæ opponuntur, sunt entia vera & realia, ut ut sūam existentiam à jure habeant, & corporibus opponantur l. 2. §. ult. l. 15. §. 2. ff. de precar. l. 66. §. pen. ff. de leg. 2.

#### 95. *An res incorporales mobilibus vel immobiliis bus annoverantur?*

Res incorporales, quia propriè non possidentur, propriè etiam nec mobiles, nec immobiles sunt, sed tertiam, inter res mobiles & immobiles, speciem constituunt l. 2. l. 9. l. 15. de rejud. l. 7. §. 4. ff. de pecul. l. 1. C. de Præt. pign. l. pen. Tult. C. de quadr. prescript. nam ut res moveatur, affectionem naturalis corporis denotat, adeoq; res corporis propriè dicuntur moveri, motus enim est corporis; deficiente autem corpore, prædicatum, mobilis & immobilis rei, etiam deficit, quia illi non potest competere privatio, cui nec habitus com-

148

competit d. l. 15. & d. l. 1. jun-  
cto arg. l. 83. ff. de R. J.

96. Quo ergo res incorpo-  
rates, ex interpretatio-  
ne juris, referuntur?

Si necessitas & decisio cau-  
sarum exigat, ut res corpora-  
les ad alterutram rerum cor-  
poralium speciem referan-  
tur: Tunc pro ratione & qua-  
litate rei, cui res incorpora-  
les accedunt, modo mobilib'  
modo immobilib' adnume-  
rantur: adeoq; cautio prædii  
donati pro re immobili repu-  
tatur arg. l. 7. C. de præd. min.  
qui enim actionem habet ad  
rem, ipsam rem habere cen-  
setur. Ita obligationes, nomi-  
na & actiones censentur se-  
cundum naturam ejus rei, ad  
quam competit, arg. l. 2.  
§. 1. l. 4. §. 1. l. 85. ff. de V. O.

97. Pecunia, annumerat  
surne rebus mobilibus  
vel immobilibus?

In pecuniâ, autoritate pu-  
blicâ signatâ, interdum con-  
sideratur valor publicus l. l.

ff. de coner. emt. & tunc res  
quantitatis dicitur, & corpo-  
ri opponitur l. 46. ff. de con-  
dit. indeb. interdum deno-  
tat ipsam materiam, ex qva,  
accedente publicâ autorita-  
te, valorem desumfit, siqvi-  
dem quantitas auri aut ar-  
genti, pondere justo ad valo-  
rem nummi definita, unica  
& vera monetæ aureæ vel ar-  
gentæ mensura est, & ita  
materialiter pecunia consi-  
derata, corporalibus rebus  
non opponitur, sed corpus  
est l. 1. §. 1. ff. de R. D. l. 94. §. 1.  
ff. de solut. adeoq; pecunia  
non simpliciter, sed certo  
modo corpori opponitur l. 68  
pr. ff. SC. Treb. l. 10. ff. de ac-  
cept. Quantitas enim corpo-  
ri, tanquam speciei, opponi-  
tur l. 87. pr. ff. de Leg. 2. &  
pro re corporali habetur  
d. l. 46. ff. de cond. indeb. Un-  
de recte §. b. distinguit he-  
reditatem, & obligationem,  
ab objecto illo, qvod heredi-  
tas vel obligatio respicit, d.  
l. 1. §. 1. de R. D.

Examen

**I**mplicitos juris nodos DIVISIO RERUM  
 Continet, impediunt qvi studium Themidis.  
 Hos vero nodos, Tu plana mente resolvis,  
 Examen subiens PRÆSIDE MAGNIFICO  
 Nostro, nosq; Tuis studiis gratamur obinde,  
 Ut Tibi succedant hæc meditata benè!  
 Perge ideoq; Tua virtute, Tuoq; labore,  
 Et benè sic studium continuare potes;  
 Dii ( qvibus est curæ studium ) tua copta secundent,  
 Atq; Tuis ausis velificare velint;  
 Ut tandem possis aliis prodesse, iterumq;  
 Impensi studii præmia percipere.

*Florentissimo & Praestantissimo Dn. Respon-*  
*denti, bisce animitus congra-*  
*tulantur*

### COMMENSALES.

<b>W</b> er nach Ehren strebt/ Wer der Tugend lebt/ Liebt bemühtes Sizzen Schone Arbeit nicht/ Holt sein manes Schwigen Für die höchste Pflicht;	Lest den Gethals draben Und mit dem sich laben Was uns Osir giebt/ Er lässt andre karten Ins und Schlaff abwartern/ Weil er nichts liebt
Lest die Venus lauffen Lest den Bachus sauffen Und die andren gehn/ So in steuem Rosen Der Milch-weissen Rosen Nicht als Faulheit sijn.	Als die langen Gänge Welche wegen ange Und auch ander Pein/ Als der Dorner Flecken Füss und Kleider brechens Sehr beschwerlich seyn.

Daf

Dan wer daß verdrissen  
Häufig zu genißen  
Erglich ist bereit

Dem giebt Gott und Jugend  
Nach der sauren Jugend/  
Lauer Leblichkeit.

Hiermit hat seinem wertesten Freunde  
außwarten / und den Erfolg seines  
Kleisses vorhalten wollen

Bertram Schwarb/

Sundā Pom.

**D**um populi certant armis terraq; mariq;  
Tu quoq; bella paras & prælia docta, Minervæ  
In castris, nec non doctâ contendis arenâ;  
Perge, decus Patriæ, laudum decurrere campos,  
Sic poteris tandem nomen transscribere seclis  
Immortale Tuum: Dabit & post multa laborum  
Agmina, Musarum tibi præmia Præses Apollo.

*Scribebat amoris mnemosynon*

Rostochij

Job. C. Dreckman.

**G**emma prægrandi pretio paratur  
**U**ltra, cum rubro renitescit auro;  
**L**inquirit & virtus Themidi decorum.  
**I**llud in præsens trutinasti, & inde  
**C**ontrahes summi pretium laboris;  
**H**oc bonum cæptum, voyeo, ut secundet  
Almus JOVA.

*Congratulandi & promptitudinem animi  
contendandi ergo, Scribebat.*

Rostochij  
Justus Heinricus Crusius,  
Osnab: Gueßph.

sof ) :o: ( so









*I. 20. ff. b. t. verum etiam cre-  
ditor pignus distrahit. l. 46.  
b. t. & procurator, qui vel  
speciale ad id habet manda-  
tum, §. 42. ibi: cui eius rei  
possessio permisit: l. l. §. 21.  
de A. P. vel mandatum gene-  
rale cum libera: generale e-  
nī mandatum simplex ad  
alienationem non sufficit l. 58  
l. 63. ff. de Procur. l. 9. §. 4. ff. de  
A. R. D. Ad §. 44. & 45.*

*84. Quānam est tradi-  
tio ficta?*

Qvæ vel sit brevi manu, si  
res ex alia causa, veluti ex lo-  
cato, apud aliquem est, &  
postea ei venditur; is enim  
per constitutum possessori-  
um, ad vitandam actuum  
pluralitatem, rem accipit l.  
43. §. 1. de J. D. l. 3. §. 12. ff. de  
don. inter vir. & ux. juncta  
l. 18. de A. P. Vel symbolo a-  
liquo, qvando venditor clav-  
es ad horreum, in quo fru-  
mentum est repositum, l. 9. §.  
6. b. t. l. 74. de cont. Emt. l. 62. ff.  
de Evid. l. 1. §. pen. de A. P. al-  
teri concessit: vel Instrumen-  
tum tradidit, l. l. C. de donat.

143

vel custos rei ab accipiente  
appositus est, l. 51. de A. P.


Ad §. 46.

*85. Potestne traditio fieri  
in personam incertam?*

Affirmatur, qvatenus mis-  
silia, hoc est, munera, ad po-  
puli gratiam auncupandam,  
jactantur, & sparguntur in  
vulgus: qvod consules ac præ-  
tores, qui divitiis abunda-  
bant, initio magistratus, vel  
aliàs, facere conserverunt:  
illud tamē fieri prohibuerūt  
Valent: & Marcianus Impp.  
*l. 2. C. de consul. lib. 12. unde  
verba: Prætores & consules, ex  
Instit: Gaij, Vinnius omittit.  
Limitavit autem Justinianus,  
ut argentum, si vellent, in-  
minutioribus nummis, non  
etiam aurū, qvod solis Prin-  
cipibus licebat, septies spar-  
gerent Nov. 105. c. 2. iterumq;  
sustulit Leo, Nov. 94. Leon.  
Principes tamen illud fece-  
runt, Svet. in Aug. c. 98. in Ca-  
lig. c. 18. in Neron. c. 11. qvos et-  
iam ipse Justinianus excepit,  
qvibus aurum, qvocunq; ve  
tempore, spargere licuit, ad-*

dita

S 2



the scale towards document

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
Patch Reference numbers on UTT  
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038